

Dissertatio inauguralis medica de praeservandis literatorum morbis ... / [Jeremiás Maehrl].

Contributors

Maehrl, Jeremiás.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1733]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nfp7qw6c>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



C. IV. 2
18



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3052068x>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
PRAESERVANDIS
LITERATORUM
MORBIS,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Ex Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXXIII. D. APRIL.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR ET RESPONDENS

JEREMIAS MÆHRL,

POSONIO - HUNGARUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.



PRÆSTES VANDIS

LITTERATUM
MORBIS

IN ALMA REGIA BIBLIOTHECA

DR. D. MICHAEL ALBERT

BECCANO SUO SPECTATISSIMO

PRO GRADU DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDIS

VERE MIA S M A H R I



PROOEMIUM.



Uanquam inter reliqua summæ felicitatis humanæ momenta, omni jure sanitas tanquam præstantissimum donum a summo creatore homini concessum ac cœlitus demissum referratur, multi tamen media, quibus ea impetratur vel negligenter & minus debito ordine quærunt vel perperam adhibent. Quam ob causam tanto majori cura medicus eo allaborare debet, ut rerum pro vitæ ac sanitatis conservatione summe necessariarum, ad quarum quoque censum res non naturales spectant, legitimum & salutarem usum ab abusu separatum commendet. Et cum facilius sit sanitatem illibatam prudenti consilio, per causarum eandem lædentium tempestivam præoccupationem, & illam adjuvantium commendationem conservare, quam labefactatam arte medica a morbis gravioribus & determinatis restituere, facile patet curam præser-

vatoriam tanquam naturæ magis convenientem, methodo curatoriaæ præferendam & observandam esse. Quemadmodum vero ante omnia ii, qui præ reliquis a rebus extrinsecus ambientibus diversimode afficiuntur, consilio semet præservandi indigeant, ita literatos, quorum vitæ genus sedentarium & reliquæ circumstantiæ taliter comparatæ sunt, ut a minimo excessu aut defectu aut inordinato harum rerum usu lædi possint tanto curatius regimen & diætam observare oportet. Quumque in Dissertatione hac inaugurali de PRÆSERVANDIS LITERATORUM MORBIS quædam disserere suscepi D. T.O.M. imploro, ut huic conamini benigne suo adsistat auxilio, viresque largiatur, quo omnia in sui honorem & proximi salutem cedant.

§. I.

Quo instituti mei ratio, in thematis præsentis pertractatione melius innotescat, nullaque ambiguitas circa rei considerandæ significatum relinquatur, consultius duxi, antequam ipsam rem aggrediar quædam præmonere, quamvis diutius huic proposito inhærere, ipsa ulterior tituli perspicuitas prohibeat. Intellego autem per præservationem talem actum, quo imminentes & morbosæ afflictiones, quibus corpus humanum ob varias rerum vicissitudines, earumque alterandi vim & potentiam subjicitur tempestive præoccupantur, ac causæ quibus ortum & propaginem debent removentur, ne perniciosum & deplorandum edant effectum. Quæ operatio tanto magis
grata

grata & ab omnibus observari ac inculcari meretur, cum non solum morbos in determinatum statum jam deductos, qui nullam amplius nec a peritissimis medicis nec a probatissimis medicamentis admittunt medelam; in principiis tamen præscindere valeat, sed & ad vitam longævam & tranquillam plurimum conferat: accedit, quod summam ejus necessitatem, ipsa corporis in statu naturali contingens testetur conservatio. Qui enim fabricam humani corporis summe corruptibilem & in putredinem pronam considerat, facile perspiciet, quanta urgeat necessitas, quo mediantibus motibus vitalibus eorumque effectibus, principium vitale corpus defendere ac præservare, nec e potentia in actum corruptionis deducatur, necessum habeat, imprimis cum iis cessantibus presso pede corruptio insequatur. Quare non immerito tam indefesso studio tum a Veteribus tum recentioribus medicis cura præservatoria commendatur partim, quod medicinæ absolvat partem, quæ non tantum curationem, sed & præservationem involvit, partim quod inevitabili quasi necessitate iisdem injuriis & causis debile corpus exponatur, a quibus morbos consequentes, nisi præcaveantur metuere possit.

§. II.

Cum vero de literatis sermo sit, non ii considerandi veniunt, qui literatorum nomine quidem insigniri cupiunt, vitam vero a studio literario alienam in luxu & voluptate degunt: neque ii in censum vocantur, qui olim literis operam navarunt, nunc autem aliis semet consecrarunt negotiis; sed eos tantum intelligo, qui assidua officii administratione studiis tam animi, quam corporis vires dicant, vitamque ut plurimum sedentariam conjunctam ha-

bent. Quod significationem & denominationem morborum attinet, excipio in hac tractatione eosdem, qui eruditos ex communi causa, cum aliis indiscriminatim invadere solent, vel quos ipsi propter perversum vitæ genus, aliarumque deliciarum excessum, qui studiorum cursum magis impediunt, contrahunt, eos potius tantum in considerationem duco, qui literatis, ob studiorum intemperantiam, indefessam officii administrationem, vitæ genus sedentarium, aliarumque hinc dependentium causarum & circumstantiarum fomitem, familiares existunt.

§. III.

Quo autem propius ad scopum accedendo decenti ordine tractanda pervolvere liceat, ante omnia præcipue illæ causæ, quæ sanitati literatorum obesse solent, ac ad morbos disponunt, enumerandæ erunt, quibus cognitis cura præservatoria meliori successu institui & sanitas eorum firmitus præmuniri possit. Duplicis vero generis causæ reperiuntur, quædam magis animum, aliæ corpus præcipue concernunt, nisi enim mens sana fuerit, facile corpus variæ morbosæ afflictiones sequuntur. Cum itaque de causis animum adficientibus edisseram, præmoneo me tales intelligere, quæ actiones ejus disturbant, & ad motus perperam in corpore instruendos ac dirigendos ansam præbent, sub quibus tandem sinistri effectus atque eventus in œconomia vitali sunt expectandi. Inter has causas animum respicientes, referri merentur nimix profundæ meditationes, quæ solito diutius protractæ ac continuatæ, imprimis, si quis rem quam animo volvit, non bene intelligat, vel de eadem
me-

meditari cogatur, quam odio habet, anxium & turbatum reddunt animum, sub qua anxietate motus mox remittuntur, mox intenduntur, variasque irregularitates, a statu naturali deflectentes producant, quæ non possunt non œconomiae animalis statum simul pessum dare.

§. IV.

Offendit porro sanitatem immoderata mentis intentio ad res speculativas, quo fit, ut phantasma retinendo non solum sensus patiantur, sed & reliquæ functiones se- & excretoriæ remittantur, causamque ad varias impuritatium collectiones reperiant; Quam ob rem non mirum, si ejusmodi literati tam torvidi, pallidi & ad adfectus melancholicos proni conspiciantur; Quo magis enim in abstractis versantur, eo magis motus in vitalibus negliguntur ac speculando consumuntur, quin imo eo usque cum iisdem pervenit res, ut nisi admoneantur rerum non naturalium ferme obliviscantur, tantum abest, ut motus in œconomia vitali rite succedant; in quo porro statu nec medicamentorum vires genuinae recipi possunt, nec medicorum consilia debitæ attenduntur & applicantur. Præjudicat præterea sanitati nimia sensibilitas, quando ex levissima causa mox manifestis subjiciuntur alterationibus, adeo, ut ex imaginatione facile valetudinarii existant, hinc non raro evenit, ut ex consuetudinis ratione motuum recursibus tanto citius exponantur & in adfectus habituales ac chronicos degenerent.

§. V.

Nec mediocriter sanitatem lædunt animi mores, quando vel magnalia ac stupenda sibi imaginantur, quæ si votis eorum non cedant, tacite anguntur atque irascuntur,
hinc-

hincque in morbos deliriosos conjiciuntur, vel nimis impatientes se gerunt, adeoque motuum ordinatos successus turbant, variisque irregularibus commotionibus sanguinis causam dant, vel plane de sanitate eorum incurii sunt, inde malum malo cumulant. Sanitati præterea obest animus variis ac diversis occupationibus obrutus, pluribus namque intentus, non est ad singula sensus, quare & motus vitales, eorumque effectus se- & excretorii facile postponuntur ac varia detrimenta œconomiae animalis inde enascuntur. Porro sanitati officit anxia ac scrupulosa sollicitudo de tuenda valetudine, quando in hunc finem multam medicamentorum farraginem consumunt, hinc evenit, ut ex levibus ac transitoriis alterationibus ægrius decumbere necessum habeant, atque constanter remediorum ob tardiores effectum concursu indigeant. Maxime omnium sanitatem turbant animi adfectus, quorum plurimum contribuunt, invidia, contemptus, philantia, iracundia, mœror &c. quæ omnia ad partium fluidarum & solidarum inordinatos motus, quibus œconomia corporis alteratur, plurimum faciunt.

§. VI.

Uterius jam ad causas corporis œconomiam spectantes accedo, quæ, quantum sanitati literatorum contrariantur, breviter perspiciam: priusquam vero easdem recenseam, monendum est, mihi hic non de solitariis & singularibus literatorum sanitatem alterantibus causis sermonem esse, sed eas infero, quæ quidem reliquis etiam communes sunt, interim tamen ob peculiare literatorum conditiones, eosdem magis afficiunt, quas eo accuratius advertere, deque illarum justo moderamine solliciti esse debent.

bent. Ex his causis variæ sunt, quæ ex rerum nonnaturalium suppellectile petuntur, quorum ante omnia aëris intemperies refertur, qua literatî tanto facilius & gravius afficiuntur, quo magis sub uno eodemque aëris gradu in museis suis versantur & insignioribus ejus mutationibus minus adsueta sunt. Quare nimis æstuosus aër, eosdem ob particularum sulphurearum expansionem, & humorum orgasticam commotionem in febres continentes, continuas, capitis dolores, congestiones, oppletiones, virium prostrationem conjicit. Nec injuriis caret aëris intemperies frigida, quæ poros partium fibrosarum constringendo, transpirationem insensibilem ac sudoriferam impedit, inde disponuntur ad morbos serosos, cachecticos, catarrhos immoderatos, coryzam, gravedinem, phlegmatorrhagiam, deinde parotidum ac colli tumoribus, inflammationibus, obruuntur, nec non sibilum & tinnitum aurium, lippitudinem oculorum, tussim siccam, raucedinem, in intestinis alvi fluxus seroso-pituitosos causatur. Justo humidior porro in corpore particulas humidas & aqueas augendo, fibrasque solito plus relaxando, torporem inducit, & ob atoniam viscerum se- & excretiones difficilius succedunt, unde variæ ex impuritatum retentione causæ materiales noxam inferentes suppeditantur. Nimium vero ficcus corpora exsucca reddit, quo minus functiones vitales rite succedere queant. Quod denique repentinas aëris mutationes attinet, tunc facile inde oriuntur varii generis febres, alvi fluxus, diarrhœæ, dysenteria, rhevmatismi, spasmi, dolores.

§. VII.

Multorum etiam morborum mater est incongrua di-

B

æta,

æta, quando cibus & potus vel minus proportionata quantitate vel qualitate prava, vel inopportuno tempore assumuntur, qui error non infrequens ab eruditis committitur, inde invitant varias ventriculi cruditates, angustationes hypochondriacas, flatulentiam, colicam, cardialgias, febres quartanas, tertianas, nauseam, ructus, murræ, obstructionem glandularum meseraicarum & irregulares ac sufflaminatas excretiones. Nec minoris considerationis est inconveniens usus somni & vigiliarum, quippe somnus diutius protractus torporem, obnubilationem sensuum, capitis dolores creat: nimix vero vigiliæ & lucubrationes, in quibus maxime ab eruditis peccatur, virium enervationes, febres continentes, marcorem, contabescentiam causantur, & ex continua librorum lectura, oculorum adfectus, hebetudinem visus, cæcitatem reportant. Magni etiam morbi ex incongruo regimine circa motum & quietem oriuntur, si enim motus corporis inordinate cum vehementia suscipiatur, sanguinis ebullitiones, exæstuationes, irregularem sanguinis circuitum, & inde enascentes incarcerationes obstructiones creat. Ex vita autem sedentaria seu quiete diuturna, spissitudo sanguinis, malum hypochondriacum, cum consuetis symptomatibus, infarctus hepatis, lienis, molimina hæmorrhoidalia, adfectus nephritici, calculosi, febres lentæ, hecticæ, spasticæ tractiones, regurgitationes ad superiora; unde dyspnœa, asthmata, capitis dolores, & bifaria morborum afflictio enascitur. Quoad turbatum se- & excretionis negotium potissimum dependet, cacochymia, viscerum obstructiones, adfectus pituitosi, biliosi & id genus aliū.

§. VIII.

Pensitatis itaque causis, quantum ad literatorum morbosas afflictiones contribuant, ad ipsam præservationis methodum me accingo, atque ea, quæ circa animi imprimis moderamen observanda sunt, breviter pervolvam. Quod meditationes immoderatas ultra animi vires prosecutas & profundas speculationes attinet, omnibus literatis incumbit, qui sanitatis curam gerere cupiunt, ut tam vires animi, quam corporis prius explorent, & secundum has meditationes suas instituunt, ne quid temere suscipiant, quod eosdem ad reliqua officia præstanda inhabiles reddat. Et uti non omni tempore, quivis dispositus reperiatur, de eadem materia, circa quam occupatur, meditari scrutarique, hinc eo imprimis tempore easdem prosequatur, quando & materiæ jucunditas plus arridet, & animi major adfulserit tranquillitas, & reliquis negotiis, quæ progressus ejus retardari possent, semet abdicaverit, quo fiet, ut longe feliciori successu iis incumbere, atque sensus minori virium enervatione eo intendere queat. Abstineant vero a meditationibus inter capiendum, aut post assumptum cibum & potum, ne sub connubio sedentariæ vitæ successus concoctionis turbetur ac loco genuinæ nutritionis variarum cruditatum collectiones, indeque provenientes impuritates sanguinis sibi concilient. Ante omnia autem literati moderamini & continentiae studere debent, ac in recto ordine a rerum moderatore optimo præscripto incedere, quo viribus suis indulgeant, neque eorum obliviscantur postponantque, quæ corporis conservationi destinata sunt. Confert itaque literatis, ut meditationibus & crebrioribus speculationibus lacescitum ani-

num licitis delectamentis recreent, quorum recenferi merentur honestæ conversationes, jucundæ ac hilares exercitationes, peregrinationes, imo interpositum studium Philosophiæ & Theologiæ moralis, Physices & Mathe-
seos, quibus animus erigitur, & ad reliqua negotia tra-
ctanda aptior atque habilior redditur.

§. IX.

Cum porro nimia sensibilitas non tam nuda corporis teneritudine, quam morali potius æstimatione ac perceptione nitatur, admonendi sunt literati, ut firmo sint animo, nec quibusvis levibus tam animi, quam corporis afflictionibus adeo sensibilibus attendant & pro summis dijudicent; facile enim sub injusta molestiarum applicatione ex leviter alterantibus causis in recurrentes morbos & pathemata acerbiora conjiciuntur. Caveant tamen ne rebus violentis temere se subjiciant & contra consuetudinem repentinis alterationibus offendantur, sed eo adlaborent, ut successive mollitiei renuncient, & modeste causis externis quantum fieri potest, adsuescant. Neque animum abjiciant, si quædam iis perferendæ sunt calamitates, quin in adversis res secundas sperent, & sub adhibitis auxiliis, ulteriorem eventum divinæ committant directioni. Præterea commendanda est continentia animi, ut sint sua forte contenti, ne id adfectent, quod ipsis denegatum est, cum diversa dona & animi dotes diversæ sint distributæ, quæ si immoderatus urgeantur, non obtento fine in confusas & turbatas magis mentis operationes delabuntur, ex quibus varii denique inordinati successus in œconomia vitali oriuntur, simulque misere excruciantur. Quare perpendant non omnes omnia posse, ac veram esse sapien-
tiam

tiam nolle nimis sapere, quo cum moderamine suis incumbant officiis, ac sanitati suæ simul invigilent. Sint porro animo patienti, ne inquietudine sua statum morbi magis deteriore ac confusum efficiant, & cum non solum sibi sed aliis vivant, tanto curatori regimine vitæ suæ curam eos gerere oportet.

§. X.

Convenit pariter, ut omnia justo ac debito tempore peragant, atque a diversis negotiis, uno eodemque tempore pertractandis sibi caveant, ne in confusas delabantur actiones, quæ non possunt non motus vitales turbare, & negotium se- & excretionis pervertere: hinc composito potius & non distracto sint animo, quo cum rebus moralibus incumbant, actiones quoque vitales promoveri possint, quibus legitime succedentibus sanitas humanæ vitæ thesaurus conservatur. Fugiant quoque scrupulosam & anxiam sollicitudinem de tuenda sanitate, ne ex multorum variorum medicamentorum consumpta farragine naturam in vitalibus negotiis ad socordiam & torporem seducant, quin magis eo adlaborent, ut moderate caussis excernis adsuescendo naturam activiorem reddant. Quoad animi pathemata maxime conducit, ut literati, qui præ aliis sapere volunt, tranquillæ mentis exemplar exhibeant & contento sint animo, nec facile commoveantur, alias actiones suas tam in moralibus quam vitalibus non mediocriter turbant; præprimis vero abstineant ab odio, philavtia, invidia, qui adfectus a literatis præsertim committuntur, sed studeant, quo omnia patienti ac sereno perferant animo.

§. XI.

Ad alterum jam præſervationis momentum, quod circa res non naturales verſatur me accingo, eaque potiffimum tradam ac enucleabo, quæ legitimum horum uſum & moderamen commendant, inter has primo loco *Aëris* conſideratio annotanda eſt, quale regimen in ejusdem admiſſione obſervandum veniat, imprimis cum ab ejusdem acceſſu vario reſpectu tam partes fluidæ, quam ſolidæ ratione conſiſtentia, craſeos & motus alterari poſſint. In genere autem aer maxime œconomia vitali congruit, qui ratione caloris & frigoris, ſiccitatis & humiditatis temperatus, ratione particularum ſubtilium æthereo-elasti-carum ſerenus, ratione heterogenearum ſanitati ſummopere offenſarum purus, ac ſuaviter ſimul ſpirantium ventorum flatibus agitatus, deprehenditur. Per aërem namque temperatum legitima ſanguinis circulatio & juſta proportio motus partium ſolidarum erga fluida obtinetur, per ſerenum ſanguis attenuatur, ac in juſta fluiditate ſua conſervatur, per purum humorum maſſa in laudabili ſua craſi ſuſtentatur, imo ſub adæquata hujusmodi aeris conſtitutione non tam reſpiratio ad vitam ducendam ſumme neceſſaria rite ſuccedit, quam quorundam quoque ſenſuum externorum ut viſus, auditus, olfactus facultates melius exercentur. Quemadmodum vero hujusce temperaturæ aer ad vitam & ſanitatem conſervandam plurimum facit, ita non caret detrimento & inſuperabili noxa varia aeris intemperies. Vitandus itaque eſt literatis omnis aer valde humidus & in declivioribus locis vaporibus repletus, qui partim humores ad motum inteſtinum œconomia vitali maxime offenſum diſponit, partim negotium ſe

se & excretionis turbat, ac impuritatibus massam humorum inquinat. Fugiendus porro est aer nimium frigidus, qui tonum partium solidarum nimium constringit, imo ipsos humores coagulando alterat. Nocet quoque aer nimium siccus & calidus, sub quo fluida necessaria humiditate privantur, fibræ exarescunt, & virium enervatio accidit. Summe autem periculosus est aer putridis exhalationibus imprægnatus, qui humorum massam dissolvendo morbos putridos & contagiosos causatur.

§. XII.

Incumbit itaque literatis, ut congruum regimen contra aeris injurias observent, & cum literati potiore temporis partem in museis absolvant, conducit iisdem, ut ea sibi eligant pro studiis tractandis loca, quæ elatiora & magis serena sunt, quo exhalationes crassiores ex inferioribus tam copiose penetrare, & particulis noxiis aerem superiorem magis tenuem, multoque subtiliorem replere nequeant: imprimis vero literati sibi consulunt, si museis suis situm versus orientem concedant, quorum tractum venti subsolani permeare possunt, qui vires recreat, æremque particulis humidis sulphureis œconomiae corporis valde molestis, magis liberant, quam onerant. Suadendum porro est, ut sub tali æris temperie, literati ærem in museis inclusum emittant, atque immissione æris purioris præprimis tempore matutino per fenestras aliaque patentia loca a putredine præservent. Ante omnia hyeme a nimis calidis sibi caveant museis, sed temperatum semper conservent calorem, ne post majorem sanguinis exæstuationem tanto plus a frigoris vi alterentur. Uberius quoque fruantur aere vernali & æstivo, temperate sicco & mode-

moderate calido , quando omnia virent , & fragranti odore vegetabilium athmosphæra subtiliter repleta est , quo tempore deambulationes atque peregrinationes ad vires tam animi , quam corporis reficiendas convenienter institui possunt. Cum vero non semper aëre temperato uti liceat , sed quandoque ob tempestatum injurias & anni tempora minus salubria aer magis sit alteratus , cui non ubique literati ex officii ratione semet subtrahere possunt , tali in statu præprimis literatis commendo , ut in continuo ac moderato sint calore , quo transpiratio & excretio peripherica promoveatur : quare iisdem convenit ut decocta calida , quorsum spectat Potus Theé Veron. Coffeé crebrius assumant , & vestibus bene muniti incedant , quo se ab aeris intemperie ac immediato ejus contactu defendant , neque diu sub eodem semet contineant , ne in morbos graves , incidant. Culpandus interim eorundem est mos , qui sub sudatione corpus negligentius degunt , atque interveniente aura frigidiori corpus exponunt , aut quando matutino tempore , quo aer est justo frigidior laxo & minus sufficienti induti habitu studiis operam navant , quo fit , ut transpirationem in successu suo impediant ac ad humorum retrocessionem , quæ magnorum morborum mater est , contribuant. Hanc ob causam non tam facile vestes hybernæ , quam diu adhuc mutationes , aeris mox frigidi , mox calidi continuant , cum æstivis mutandæ sunt , sed præstat potius iisdem æqualem caloris gradum quocunque tempore conservare , nec non excretionem periphericam respicere , quam si rite observaverint , non necessum habebunt tam indulgenter & scrupulose quasvis leves aeris mutationes fugere.


§. XIII.

Quoniam humorum massa, nutritioni inserviens, sub continuo motu ac progressu resolvitur, multumque de laudabilibus particulis, appositioni ad solidas corporis partes aptis amittit, excipit, ut quædam de *diæta*, qua defectus partium nutritioni dicatarum restauratur, edisseram, in quantum literati circa hujus convenientem usum semet gerere debeant. Ut tanto melius pateat, quibus fundamentis regulæ diæteticiæ nitantur, ante omnia respiciendum est, ad alimentorum & potulentorum quantitatem, qualitatem, atque debitum assumendi ordinem. Quoad quantitatem literati adæquatam proportionem observare debent, quæ eorundem excretionibus & consumptionibus respondeat, ne plus assumant, quam ad eorum vires instaurandas necessitas efflagitat. Quo plus enim excretiones promoventur, eo liberior diæta ad necessariam nutrimenti distributionem & restaurationem locum habet, quo autem impeditius succedunt, eo consultius abstinentia a largiori ingestione commendanda est. Hinc cum literati ut plurimum vitam agant sedentariam, magisque speculabundam, sub qua egestionibus & reliquæ functiones naturales minus legitime ob impeditiorem humorum progressum, succedere possunt, confert iisdem in hoc statu, nisi vitam otiosam in mobiliorem commutaverint, ut pariori præ reliquis laboriosioribus subjectis vescantur cibo, quo ubertas ac major spissitudo sanguinis, quæ excretionibus salutaribus pertinacius retardat, præcaveatur. Præcipue circa ingerendorum quantitatem inter literatos ii admonendi sunt, quibus laudabiliori, magisque nutriente diæta frui datum est, quo accuratius temperantiæ stude-

ant & secundum Pythagoræ consilium nunquam saturi a mensa discedant, quoniam sub tali diæta justo plus ingeritur, quam ventriculus recte concoquere potest, exinde cruditates ac impuritates sanguinis colliguntur atque depravatus Chylus sanguini miscetur. Præterea in considerationem ducendus est potus cibo adjunctus, qui quanto copiosius nutrit, ut cerevisiæ pingues, tanto minus de alimentis sumere oportet, quo vero tenuior est, nec non excretiones periphericas & diureticas promovet, tanto plus de cibo capi potest; potulenta enim saturata non exiguum nutrimentum, si imprimis largiter ac frequentius hauriantur, corpori suppeditant. Justa etiam apud literatos respectu appetitus assumendorum quantitas dimetienda est, siquidem qui bene appetit, bene ingerit, unde aliquantum liberalius præ iis, qui appetitus prostratione laborant, cibos bonæ qualitatis ingerere possunt, ne tamen ob appetitus defectum, vires patiantur, excitari eundem convenit per aromata temperata, acida vegetabilium, quibus alimenta combinari possunt, ut ventriculus ad meliorem coctionem peragendam roboretur. Verum enim vero pessime sibi consulunt, qui ex altera parte nimio defectu peccant, subtrahendo necessarium ad corporis conservationem & augmentationem destinatum alimentum, sub quo statu vires languent, nec debita animi alacritas ad studia pervolvenda reperitur, quin in tantum diætæ indulgendum, in quantum vires reficiuntur, non autem obruuntur.

§. XIV.

Ratione qualitatis ea præ reliquis locum habent, quæ euchyma sunt, & principia ad laudabilem chylum elicendum apta, conjuncta humiditate recondunt, quo spectant
ge-



gelatinosa oleoso-mucilaginosa ac alimentosa. Ad literatorum diætam pariter commendari merentur, quæ facilioris existunt concoctionis, ventriculum non aggravant, ad quorum censum tenuia, mollia, naturæ convenientia, succulenta, non vero nimis pingua, terrestria, crassa, viscida, aut sicca referenda sunt; Interim in diætâ eligenda non nimis sint scrupulosi, absente etiam dyscrasia, sed adsuescant aliquando cum moderamine varietati ciborum, caveant tamen, ne ea ingerant, quæ contrariis agunt principiis, unde dulcia & amara, acida & pingua, crassa ac tenuia, calida & frigida, aut alia inæqualia simul assumpta maxime nocent, indeque concoctionis difficultas, & ciborum corruptio ortum habet. Quod si itaque error quidam commissus fuerit, in ingestione ciborum, conducit scopo præservatorio, ut post assumptas carnes, pane sale asperso fruantur, qui concoctionem promovet, & a putredine præservat, post vegetabilium esculentorum abusum, moderata quantitate spiritum vini, imprimis, qui ei adsueti sunt, superbibant, hic virtute sua quadantenus coagulante flatulentiam impedit, si vero nimis sicca assumpta fuerint, liquida & humida ad cruda discontinuanda efficaciam exerunt. Ratione ordinis optime *Sennertus lib. IV. part. II. cap. IV. p. m. 887.* de mediæ ætatis diætâ, differit: *Primo loco sumenda sunt ea, quæ alvum emolliunt & lubricam reddunt, quæque succi non adeo boni sunt, facilius coquuntur & descendunt e ventriculo, & facilius in ventriculo corrumpuntur: his subjungantur ea, quæ alvum sistere possunt, minus facile coquuntur, quæ tardius descendunt succique sunt melioris.* Ordo pariter servatur, si literati certis horis pro assumendis alimentis adsuescunt, hac ratione efficiunt, ut

appetitus ad cibos digerendos summe necessarius melius conservetur, ac destinato tempore revocetur, quam si vagabundo modo tractetur.

§. XV.

Incumbit jam, quum non solum crassiores substantiæ, sed etiam subtiliores, quæ convenienti potu refarciendæ sunt, e corpore nostro excernantur, quo de litteratorum potu, pauca referam. Convenit itaque literatis, ut potum tenuem temperatum, nec nimis saturatum sumant, ubi principem occupat locum Aqua, quæ limpida, pellucida, & nullius rei saporem aut odorem gustui vel olfactui exhibet. Accusant equidem nonnulli aquam frequentius haustam nimis ventriculum debilitare & debitam concoctionem cruditatibus suis magis impedire quam promoveri; nihil tamen hujus præstantiæ derogare videntur, cum potius insuetudo, quam aquæ qualitas causa sit, quod ipsi abstemii & solo aquæ potu utentes sat firmis comprobant testimoniis. Et quia literati vitæ ut plurimum sedentariæ sunt dediti, ex qua spissos adipiscuntur humores, suadendus est iisdem largus ac sufficiens potus, quo humorum massa resolvatur & attenuetur, in quem finem potulenta pariter calida Theiformia HB. Theé Veron. crebrius usurpata, quibus si necessitas postulat ad ventriculum roborandum aromata, ut Cinnamom. Caryophyll. Cort. Aurant. Citri. Sem. anisi Stell. jungi possunt, non mediocrem habent utilitatem. Nec invidendum est literatis, si moderato ac medico usu vini fruantur ad excitandum & exhilarandum animum, ad reficiendas vires, ad excretionem promovendas, ad sanguinis motum allevandum, ad fluiditatem humorum facilitandam &c. quo opti-

optime ac congrue inter edulia, aut post assumptos cibos ad meliorem etiam concoctionem promovendam uti possunt. Imprimis vero ea sibi seligant vina, quæ temperata sunt & diaphoresin ac diuresin promovent, non autem nimis acida neque austera, nec nimis recentia, quæ aut magis humores coagulant, aut excretiones salutare turbant, aut perversè humores commovent &c. Caveant sibi præcipue a potulentis valde spirituosiss, inebriativis, quæ organicam humorum commotionem creant atque caput, pro cuius conservatione plurimum literati laborare debent, debilitant, unde iis conducit, ut vinum media parte aquæ diluant, ne noxios pariat effectus. Immoderatus enim vini usus literatos disponit ad morbos acutos, febres acutas, malignas, inflammationes, adfectus calculosos, spasmodicos, cholericos & biliosos. Cerevisiæ potus ex hordeo valde saturatus cum moderamine est usurpandus, nam nimis nutrit, ebullitionem sanguinis creat, & literatis magis noxius est, hinc potius diluta tenuis & minus saturata cerevisia convenit.

§. XVI.

Lassitudini ac viribus recuperandis aptissimum remedium Somnus, qui nihil aliud est, quam quies & actus sensationis temporaria abolitio, merito habetur. Cum enim sub diuturnis laboribus ac exercitiis corporis, defatigatio, ut & sensuum debilitata energia non mediocris persentiscatur, destinata est homini nocturna requies, qua amissæ vires recuperari atque ad pertractanda rursus negotia instaurari excitarique possent. Quo magis itaque non tam externos, quam internos sensus literati per frequentes intentiones & applicationes exercent, hincque vires suas

consumunt, eo majori cura quieti corporis indulgere necessum habent. Quemadmodum vero in omni re moderata durant, ita pro refocillandis viribus moderatus est servandus somnus, ne vel deficiat, vel excedat: somnus & vigiliæ ait *Cous Sect. II. aphorism. III.* utraque modum excedentia malum; immodicus namque animo & corpori nocet; illi, quod torporem inducat, ac ad studia tractanda inhabilem reddat; huic, quod excretionem salubres præter sudoriferam impediatur: nimius autem somni defectus confusum efficit animum, ad adfectus deliriosos disponit ac nutritionem convenientem turbat: quare quoad somnum literatis debitus ordo seligendus est, talem *Illustris Thomasius* præscripsit, ut octo horas studiis, octo somno, & octo reliquæ corporis refectioni dicaverit. *Japserus in introductione ad vitam longam part. I. cap. X. pag. 104.* dicit: *septem horis dormire sat est juvenique senique:* at *D. Georg. Horstius in libr. de sanitate studiosorum tuenda* scribit: *somni terminus idem præscribi nequit, cum in aliis citius, in aliis tardius concoctiones infimi ventris peragantur & vires animales corroborantur: ad minimum tamen sex ad summum IX horis in statu sanitatis hæc absolvi solere patet, quo circa spatio intermedio & frequentius septem horis determinatur.* Sufficiens autem ac ordinatus tunc esse optime judicatur, quando virium reparatio, animi alacritas, nullaque amplius in somnum inclinatio adest. Observandum porro est circa ejusdem ordinem, ut literati maturius noctu decumbant, & mane ad auroram, quæ musis est amica surgant, quo tempore humores magis ad peripheriam vocantur, qui per noctem intro remorabantur, ac concitationes eo tum motus majorque animi alacritas, ipsa voluntate agendi

agendi animadvertitur: imprimis literatis confert, ut statas horas quantum fieri potest, quibus decumbant observent, quo fiet, ut tali ratione citius somnum, qui alias in iisdem non semper ad vota succedit, procurare possunt. Decidi hic porro meretur quæstio num literatis somnus meridianus post prandium profit? quam affirmative assero: etsi in reliquis subjectis motus corporis ad promovendam concoctionem, post assumptos cibos suadendus sit, interim tamen cum literati continua serie rebus speculativis innitantur, & curas animi habeant, neque sub motione ab iisdem facile distrahantur, non exiguum imprimis in debilioribus usum præstat somnus meridianus unica hora continuatus, sub quo abstrahendo a sensatione, ac reliquis animi curis, functiones naturales concoctionis, chyli-
ficationis, sanguificationis &c. melius succedunt: suadendus interim est non statim finito prandio, ne confestim massa cibaria concoquenda in primis concoctionis initiis, necessario quodam corporis motu destituatur.

§. XVII.

Circa vigilias, quando anima denuo ad usus sensuum & rationis sese applicat, admonendi sunt literati, ut moderamen teneant, quæ si moderatæ sint, animum alacriorem reddunt, excretiones necessarias salutariter promovent, & conjuncto corporis motu voluntario, æqualem sanguinis distributionem ejusque depurationem produ-
cunt; si autem ob emergendi cupiditatem, honoresque adipiscendi stimulum excessus in his committatur, varias capitis, oculorum afflictiones, imbecillitates, confusas mentis operationes experiuntur, cruditates coacervant, sensus obtundunt ac omnes in corpore actiones lædunt.

Hinc

Hinc convenientius est, ut dies vigiliis, nox vero somno impendatur, qui ordo ab ipsa natura præscriptus est.

§. XVIII.

Nunc brevibus etiam mentio injicienda est, quale regimen circa motum & quietem literati observare debeant: sermo autem hic est de localis sive voluntarii corporis motus exercitio, mediante quo corpus exagitur & in idonea flexilitate conservatur; quod corporis exercitium imprimis literatis, tanquam salutare & conveniens remedium commendandum est, cum non solum animum expeditum, alacrem, & ad subeundas operationes facilem reddat, sed etiam corporis sanitatem, conservando sanguinis progressum in justa fluiditate, abstersionem ac repurgationem promovendo, excretiones convenientes sustentando, copiam sanguinis molesti imminuendo, & tonum roborando, confirmet: de cujus specialiori usu legi meretur *Illustr. D. Stabl. Diss. de motus voluntarii usu in medicina.* & *D. D. Præses disp. de Longævitate ex motu corporis*, nec non in *Hygiene cap. IX. de Motu Medicina corporis*. Quod si salutarem suum effectum motus & exercitatio corporis exerere debeat, necesse est, ut literati cum moderamine eundem prosequantur, ne in excessu irregulares sanguinis commotiones, ac independentes infarctus creent, in defectu abundantiam sanguinis magis accumulet: quare eousque modeste, absque immoderato impetu continuandus est, donec lenis transpiratio & diapnoes obtenta fuit, sine qua alias irritum omne evadet conamen. Quamvis negandum non sit, quibusdam testantibus exemplis, quod in singularibus subjectis hocce remedium non statim melam exeruerit; in aliis molestiarum tragædiam in initiis exacer-

exacerbaverit, ex ulteriori tamen moderata ad transpirationem usque continuatione, teste experientia non destitutum fuit optato levamine. Exercitationum vero corporis varii sunt modi, inter quos nonnullis literatorum, in primis spisso sanguine laborantibus & hypochondriacis eligendus est motus concussatorius modestus per equitationem, modicam cursitationem, vecturam; aliis convenit ambulatio in plano, lectura librorum cum vocis exaltatione, exercitia qualia tornatores & scrinarii exercent, quibusdam confert, ut trahant ferram, tundant mortaria, findant ligna, jactent globum ad conos, utantur frictionibus. Porro circa congruum ejusdem usum attendendum est, ut debito tempore instituatur, quando aër serenus & temperatus affulget, ventriculus vacuus, & negotium concoctionis peractum est; unde patet, tempus pastum præcedens matutinum & vespertinum hora IV.V. ante cœnam optime exercitationi corporis dicari a literatis, ea quoque circumspeditione, ne mox post motionem, sed nisi per dimidium horæ spatium cibi assumantur, cum sufficienti tamen potulentorum conjunctione. Præterea invigilent, ne corpus post exæstuationem per motum frigori exponant, quin corpus linteis calidis abstergendo temperato se conferant ac contineant loco.

§. XIX.

Indulgendum quoque est aliquantum literatis quieti, quæ in eo consistit, quando corpus ab actione & motu locali aliquamdiu cessat, sub quo statu nutritio, sive laudabilium particularum ad partes per motum corporis attritas & resolutas, appositio melius peragitur. In eo autem quies moderanda est, ut quo diuturniores præcesserunt la-

D bores

borea, per quos major virium consumptio facta est, eo longior esse debet quies, ita tamen ut proportionis fundamentum, plus in virium jactura, quam tempore motus suscepti, quærendum sit. Attendendum quoque est literatis circa quietis species, ne sedendo cum multa compressione pectoris ac abdominis studiis operam navent, e quo fitu circulus sanguinis per venam portæ impeditur, variique dolores hypochondriaci & connexa symptomata inducuntur, hinc proficit iisdem erecto potius pectore felle infidere, & hac ratione negotia sua administrare; neque convenit literatis diuturna statio ante pulpitem, quæ alias commendari solet: perpendiculari enim hoc corporis fitu regressus sanguinis ab inferioribus ad superiora per venas retardatur, unde secessiones humorum, & pro diversitate temperamentorum, tumores œdematosi, pedum tremores, & rheumatici dolores sequuntur. Quare literatis commendandum est, ut stationem & sessionem cum ambulatione alternent, quo musculorum tonus & sanguinis circulus æqualis & proportionatus permaneat.

§. XX.

Ad sanitatem literatorum tuendam & confirmandam proinde juvat, quo retinenda retineantur atque ordinariæ excretiones in constanti & sufficienti successu promoveantur, imprimis vero expedit, quo alvina excretio debite succedat, quoniam alvi segnitie, siccitate, aut stricture non modo digestionis negotium impeditur, appetitus deficit, sed etiam ob impeditiorem humorum in his locis regressum, indeque nascentes regurgitationes sanguinis, versus superiora tam pectus quam caput, variæ afflictiones,

nes, quæ præcipue literatis familiares sunt, infestant, totumque corpus ingravescit. Præstat itaque ut alvus libera & aperta maneat, quo feces bis vel semel quotidie ordinate dejianantur, sub quo beneficio morbi magni præcaveri possunt: in quem finem literati dehortandi sunt a nimia voracitate & avida ciborum ingestione, ab alimentis crassis, spissis, siccis, viscidis, austeris, quæ duriores reddunt feces, indeque alvi obstructionem pertinacissimam excitant. Hinc ad præcavendam alvi obstipationem literatis conducit potus paulo largior bene defœcatus, quo scybala emolliri, humectari, & ad citiorem ejectionem disponi possunt, cui accenseri debet motus corporis non violentus, qui potius obstructionem auget, sed moderatus & continuus, quo subsidio motus peristalticus intestinorum restituitur. Præterea confert ad vias huic excretioni inservientes, in justa lubricitate conservandas & ad evacuationem disponendas, ex diætâ gelatinosa, juscula pingua, oleosa, prunata, passulata, pauca quantitate panis cum butyro largiter illiti, aut pomorum Porstorianorum paululum ante prandium & cenam comestio, ex pharmaceuticis conducunt lenia laxantia Rhabarbarina, Salia mineralia, quo spectat Sal Anglicanum, Sedlicense, Egranum, aut Pil. Stahlianæ, Becherian. in aqua carminativa solutæ, & si his cedere alvus recuset associantur Pilulæ parcius martiales pro diversitate subjectorum. Emetica cum duriora & robustiora exposcant subjecta, ob violentiores, quos inducunt motus, facile eruditi supersedere illorum possunt ufui, & digestiva, quæ tutiora sunt horum loco substituere, nisi peculiares suaserint conditiones & in principio exhibeantur.

§. XXI.

Circa periphericæ excretionis regimen conducit literatis ut quovis modo transpirationem insensibilem promoveant, frigus externum & subitaneas aëris ac tempestatum mutationes vitent, imprimis vero tempore hyemali, vernali aut autumnali æqualem caloris gradum conservent per vestitum congruum, potum sufficientem in specie calidum, qualis est ex infuso HB. Theé, Coffeé, Veron. sub quorum assumptione corpus calore & diapnoe perfundetur: ante omnia vero sibi commendata habeant exercitia corporis loco opportuno instituta, quæ non solum sudorem proliciunt, sed tonum partium solidarum simul roborant, si vero in quibusdam subjectis, cutis adstrictior, aut sanguinis spissitudo hanc excretionem impediret, usum non mediocrem præstant, frictiones externæ cum linteis calidis, balnea ex aqua dulci parata, & ad spissum sanguinem resolvendum Rad. Ari cum vino vel etiam cochleari uno aceti exhibita, cui haustus calidus superbibatur, conjuncta continentia quieta. Porro diuresis in ordinato successu conservanda est per evitacionem internæ vel externæ refrigerationis, ab usum nimium diureticorum & spirituosorum, quin convenit consueto & bene descecato uti potu ac alimentis congruis ad diuresin sufficientem promovendam intermisceri Sem. anis. fœnic. Petros. Pastinac. Chærefol. Bacc. Junip. Lauri, fructus Cynosbat. nucleos persicorum, nec non profunt aquæ minerales tam frigidæ, quam calidæ. Abstineant a nimio veneris usu, quo vires summopere consumuntur & nutritionis negotium pessum datur, unde coloris deformitas, mentis stupor, visus hebetudo, præmatura calvities oritur,

tur, hinc in matrimonio constituti procreationis solum prolis, quam malæ concupiscentiæ & voluptatis explendæ rationem habeant, reliquis vero castam commendamus mentem. Quod repurgationem humorum mucidorum per excretionem muciatinet, adjuvatur, hæc imprimis in subjectis frigidis & pituitosis per infusa antitharrhalia & moderatum externum usum Salium volatili-um & pulverum sternutatoriorum. Reliquæ autem extraordinariæ excretiones justis periodis decurrentes temperandæ potius sunt, quam subito supprimendæ, ne deleterius inde nascatur eventus.

§. XXII.

Ultimo pauca quædam de medica sanitatis conservatione addam, in quantum literati congruis therapevticis auxiliis ingruentes morbos intercipere valeant, ante omnia itaque iisdem conuenit, ut verno præcipue tempore ad impuritates crassiores eliminandas, quæ fomitem nonnunquam morbi præbent, utantur vinis medicatis ex speciebus resolventibus, moderare diureticis, laxantibus & motum peristalticum intestinorum roborantibus paratis, quo pertinent Rad. Cich. Helen. Pimp. alb. Zingib. Gent. r. Caryophill. HB. antiscorb. & esculentæ. Summitat. O-rigan. Cent. min. semina nostratia Bacc. Junip. Laur. Fructus Alkekeng. addito sale medio & reliquis laxantibus. Deinde prospiciendum est, ut hæmorthagiæ certis individu-uis adfuetæ salutare in iusto ordine conserventur per remedia motus nimios temperantia, & deficientes excitantia, & si in quibusdam subjectis abundantia, ut & commotiones sanguinis concurrant, ita refert mature illa incom-

moda præscindere pro diversitate circumstantiarum per tempestivam Venæ sectionem, scarificationem & hirudinum ad loca hæmorrhoidalia aliaque convenientia, applicationem, imprimis vero in literatis Venæ sectio in pede instituta præ reliquis depletionibus usum habet, qua non solum imminutio sanguinis, sed & revulsio humorum a partibus superioribus, quæ præcipue in literatis patiuntur, ad inferiora obtinetur, de qua re conf. *Illustr. D. Stabl. Diff. de Venæ sectione in pede aliisque certis corporis regionibus.* Quod diaphoreseos excretionem, qua partim nimiae quantitati & specialius depravatæ qualitati Sulphureæ Salinæ & subtilis terrestris succurritur, attinet, tunc summopere convenit, quo transpiratio insensibilis rite procedat, cavendum tamen est a nimis larga & coacta sudoris promotione, utpote quæ variis humorum turgefactoriis commotionibus & anxietatibus ansam exhibet: in literatis autem, qui ex vita sedentaria plenitudinem ac spissitudinem sanguinis, indeque impuritates humorum accumulunt, nec non ex ratione officii frequentius in aëre impuro versantur, commendandus est moderatus diaphoreseos successus, pro diversa subjectorum conditione per Essent. alexipharm. temperatas Mixt. ex aquis sic dictis diapnoicis Decocta & infusa hanc excretionem periphericam respicientia, præcipue huic scopo quadrat & reliquis palmam præfert, adæquatus corporis motus & sufficiens potulentorum dilutorum assumptio. Dissuadendus vero ut plurimum est literatis usus tabaci in pulvere naribus excipiendus, quippe quo congestiones versus caput magis invitantur, & quoniam literati iis laboribus innituntur, quibus caput exercent, & hinc majorem humorum affluxum

xum ad hanc partem provocant, tantum abest, quo utilitatem quandam adferat, quin potius majores stagnationes, & infarctus glandularum mucum fecernentium causetur; nec positivum crebrum iis fumus tabaci usum adfert, nisi quod in melancholicis si moderate & cum sufficiente potu eo utantur alvi quandam lenitionem creet: satius interim est huic mori otioso supersedere, quam exacte eidem adfuescere cum tandem consuetudo alteram efficiat naturam. Denique aquarum mineralium usum si cum moderamine instituatur literatis commendo; hæ enim primas regiones abstergunt, & tam effectu laxante, quam diuretico, impuritates e massa humorum eliminant, accedit, quod sub eorundem usu literati occasionem nanciscantur distractum animum jucundis conversationibus, deambulationibus, peregrinationibus recreandi, & diversis mentis intentionibus ac curis abstrahendi, quæ non mediocriter ad curam corporis & animi contribuunt, accuratior vero harum usus ordinandus est in iis, in quibus primæ regiones laborant, ac contumacioribus spasmodis afficiuntur, ne retentio aquarum ob impeditiorem excretionem ad morbos hydropicos, asciticos & viscerum aliarumque partium relaxationem contribuat, qui ad majores stagnationes causam præbet, & hæc sunt, quæ in præsentî themate annotare volui, quod de sanitatis præservandæ statu egit, utpote cujus conservatio genuinus artis medicæ est scopus ac

F I N I S.

NOBI-

NOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO,

S. P. D.

P R Æ S E S.

DE Litteratis bona floret opinio' ac præsumptio, quod melius vera, utilia, salutaria, commoda ac justa agnoscant & amplectantur, inde in proverbio enunciari solet, dem Gelehrten sey gut Predigen: ast vicissim multis eruditionis thesaurus & ornamentum causa & occasio pravorum & deperditorum conatuum est, ut iterum contraria confessione alii eloquantur: Gelehrte, Verfehrte! quid quod minor leviorque defectus esset, si docti tantum male scriberent, modo non satis sæpe male, perverse & incongrue viverent; eam ob causam aliquando sanitatis suæ grave sibi accersunt dispendium: & ut vel unicam tantum causam succincta annotatione attingam, litterati aut solitudini indulgentes, aut amicorum consortia ineuntes in Diæta perquam peccant, nec illam regulam observant, in cuius sollicita administratione *Xenophon Cyrum* laudavit, quod dicere sueverit, *causam meæ sanitatis duabus tribuo causis, primo quod nunquam ad saturitatem edam, deinde quod cibos bene concoquere allaborem*: multi enim nec quantitatem, nec qualitatem, nec ordinem, nec modum advertunt, sed satis strenue ingerunt, & dum sui ipsius abnegationem aliis alte commendant, propriam tamen carnem luxuriose, delicate, indulgenter & opipare saginant potius, nec crucifigunt, indeque mancipia culinæ & ollæ, servi ventris & tandem morborum rapina evadunt:

dunt: haud enim illi litteratis, sed speculatoribus accensentur, de quibus illud *Esaie* valet *LVI. tempori serviunt avidissimi canes sunt, qui non norunt saturitatem, propterea ipsi se pascunt, nesciunt docere: quotquot sunt ad viam suam se convertunt, quisque ad lucrum suum*: Pauci enim & menti & ventri citra utriusque detrimentum simul inservire possunt: quare pro virium modulo non nimium corpori indulgere nec luxui inhærere decet, ut mens sana maneat in corpore sano: Litteratis itaque temperantia suadenda est; ita tamen, ut ad unius mensuram non alterius diæta rigoroſe adstringatur. Ast sero aliquando sapiunt litterati, qui liberali diæta corpus magis enervarunt, quam roborarunt, quibus tandem juxta *Augustinum Lib. I. Hex. cap. 8. infirmitas corporis, sobrietas animi evadit*: verum itaque est *efatum Tb. a Kempis de imit. Christi Lib. II. cap. 10. non omne altum sanctum, non omne dulce bonum, nec omne desiderium purum, nec omne charum Deo gratum*: illecebræ & luxuria, splendor & ubertas in Diæta quosvis litteratos obruunt & infirmant: Non inelegans nec supervacaneum opus suscepisti **NOBILISS. DN. CANDIDATE** dum inaugurali Tua dissertatione ingenua consilia & monita litteratis exhibuisti, quibus varias imminentes afflictiones morboſas tempeſtive avertere & intercipere licet: ipſemet laudabili Tuo exemplo, quo hætenus egregios Tuos mores, ingenuam indolem, præclaram modestiam, optima industriæ argumenta, singularem vitæ probitatem & integritatem, memorabilem eximiumque ardorem in virtutum fulgore & elegantioribus studiis proficiendi exhibuisti, sobrietatem veram & minus affectatam cognitionis & observationis propriæ probatam dedisti: posteaquam enim per aliquot annos inter nos indefeſſo labore studiis operam dedisti, nec in verba unius Magistri juramentum præstitisti, multo minus Medicinæ Sectariæ gallum promiſiſti, sed potius ingenua & ſincera indole bona, vera, certa, ſibi conſtantia & maxime utilia dog-

E

mata

mata excepisti, nec erroneis, incertis, imaginariis, mutabilibus, ac nullibi cohærentibus opinionibus seductionem, inductionem, persuasionem ac veritatis abnegationem admisisti, ita splendidum litteraturæ medicæ thesaurum acquisivisti, quo singulis Musarum Patronis ac Protectoribus Te probare poteris: laudo memorabilem ac præstantem indolis Tuæ candorem & ingenuitatem, dum veritatem medicam cum modestia animique continentia amplexus, contrarias vero ac falsas opiniones, non, ut scioli ardeliones, malevoli rumusculi, & calumniatorum turmæ veritatem tractare solent, iniquo, invidioso, vindictæ cupido, odioso ac improbo iudicio persecutus es, memor moniti nostri, quod prudens, probus ac conscientiosus animus ob dissensionem humanam socialitatem haud violare nec interrompere debeat: sereno itaque animo magna laude prosperum Tuorum studiorum academicorum eventum comitor, insuperque Tibi de præsentis boni Doctoris dignitate, quam meritis assequeris, gratulor; annexo sincero voto, ut sub alma cœlesti benedictione ac perenni divino directorio saluberrimo uberrimoque fructu egregiæ assiduitatis, ingenuitatis, honestatis & modestiæ Tuæ gaudeas: efficiat hæc divina bonitas, ut salvus & sospes redux in Patriam factus, Tuos salutes exoptatissimæque prosperitate uti queas; Gratulor Patriæ, quod Te, utpote bonum Medicum puritate doctrinæ, probitate vitæ ac ubertate litteraturæ optime instructum & exornatum amplecti queat: macte omni salubritate animi atque corporis & opus Medicum salutaribus progressibus exequere: Vale in Deo & favente animo semper illos prosequere, qui pio voto ac propenso animo Te Tuaque studia curæ cordique habuerunt. Dabam Halæ Magdeb. XV. Kalend. Majas.

A. O. R. cIdIdccxxiii.

Nobi

Nobilissimo & doctissimo Candidato

IEREMIAE MAEHL,

MVL TAM PRECATVR FELICITATEM

D. IO. IVNCKER, P. P. O.

TAcite quidem & voluntario quasi instinctu dissertationis
Tuae argumentum elegisti: cum vero illud secrete elabo-
ratum mihi monstrasses, mox hariolando perspexi,
quæ Te potior caussa incitauerit ad eius modi materiae electio-
nem. Audiuiſti nimirum, & præterito anno in praxi clinica
sæpius obseruaſti, quod litterati præ aliis hominibus frequen-
ter ægrotent, saltem valetudinarii sint, & de quo conqueran-
tur, tantum non semper habeant. Quam ob rem fœderato-
rum Tuorum miseram vicem iustius dolendo, & huius cala-
mitatis medelam *συνπάχων* meditando thema hoc euoluen-
dum vtile iudicaſti. Recte omnino feciſti: & licet de eadem
re alii iam exposuerint, repetitio tamen eo magis necessaria est,
quo difficilius medicis consiliis auscultant litterati. Horum
enim miseriam quamuis *doctam* adpellare possemus, ad talem
tamen cognitionem raro pervenit, vt, quid homo sit, quod
vinculum corpori cum anima intercedat, quousque mentis fa-
cultates se extendant, quæ corruptio stagnanti sanguini immi-
neat, & quid ad corporis organa conseruanda necessarium sit,
penitius & vsque ad interiora rarissime perlustret. Vnde me-
dica consilia hi docti difficulter ad modum capiunt. Verum
enim vero si docti non capiunt, quis capiet vnquam? Si Logi-
cus medium terminum non adſequitur, quis eundem adſeque-
tur? Nemo sane alius, quam qui per fortis suæ necessitatem
cogitur quasi, ad duriorẽ vitæ rationem ineundam. Igitur
rectissime, *nobilissime*, potiorẽ huius miseriæ causſam dicis es-
se litteratorum vitæ genus, quod nimium sedendo humorum
nimiam quantitatem cumulet, deprauatam eorum qualitatem
efficiat, & ingentem motuum spasticorum turmam introducat.

Alt

Ast liceat huic caussæ aliam adhuc addere, quam litteratorum multi præteruident. Ingenia puto pingua, quibus sublimes rerum cognoscere causas ipsa natura denegauit, quæ tamen vel honoris vel commoditatis ratione in campum litterarium se conuertunt. Hæc enim subiecta cum naturalem defectum & tarditatem, assiduitate, scilicet noctes diesque studendo, compensare putant, tum nihil frequentius est, quam ut mox & animi & corporis morbos incurrant. Equidem diu iam audita sunt, & hodie adhuc audiuntur iudicia, quod litterati *multitudine excedant*: unde in quibusdam Germaniæ prouinciis laudabili Principum mandato prohibitum est, ne quisquam alius ad studia admittatur, quam qui a constituto collegio probatus ingenioque capaci præditus sit. Sicut autem hæc mandata rei publicæ usum magis respiciunt, quam sanitatis rationem habent: ita experientia nondum, confirmauit; quo effectu & eventu illa exsecuta fuerint. Inter ea quam certissimum est, quod multi doctores aratrum sequantur, pluresque stupidi in libros incumbant. Quæ diuersa ingenia, nisi prudente selectu separantur, litteratorum calamitatibus augendis capacia deprehenduntur. Valent hæc potissimum in Germania nostra: quid autem hac in re patria Tua ferat, redux in eandem explorabis. Cæterum de cursu academico feliciter absoluto & de honoris gradu vere Tibi gratulor, omnisque generis felicitatem vberrime exopto. Vale. Dabam e museo d. 14. Aprilis 1733.

TE veniente graves vastant natalia morbi
Mœnia. Quid dicam Patriæ? cultissime MÆHRL!
Ut Lupum fagiunt agni, lupus ipse Leonem
Sic fagient morbi TE veniente graves.
Hæc TVA dexteritas, hæc sedula cura medendi
Hæc TVA nobilitas animi præclara, *vigebit!*
Ast ego sub tenui TIBI nota hic pelle latebo.
Nimihî subueniat, mox TVA dexteritas.
O! si cuncta meæ tam læta negotia vitæ
Sint modo, ut hic possem dicere dulce VALE!

His se commendabat auctoris favori
IOHANNES WALASKAY,
Hung. N. Pestensis. Med. Cult.

